



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

§. XVII. De effectibus irregularitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

natalium provenit, & habitat intrans-
tem ad omnes Ordines, etiam Sacros;
non verò alias, quæ ex propria culpa,
aut defectu aliquo corporis procedunt,
Sayr. *de censur. lib. 7. cap. 13. num. 2. 3.*
& *seqq.* nisi Religio habeat amplius pri-
vilegium, Bonaccin. *de irregular. disp. 7.*

180 q. 5. punct. 2. n. 4.
Per dispensationem aufertur omnis tam
publica, quam occulta irregularitas à
Summo Pontifice; cujus auctoritate om-
nes occultæ solent à Sacr. Pœnitentiaria
dispensari: publicæ verò à Dataria, præ-
via consulatione, & Voto Sac. Congreg.
Concilii. Item omnis occulta, inclusa
etiam in homicidio voluntario pro jam
ordinato à Summo Urbis Pœnitentia-
rio, & quo ad Religiosos etiam pro or-
dinando. Item omnis occulta dempta in-
clusa in homicidio voluntario, aufertur
dispensatione Episcopi vigore Conc. Tri-
dent. c. 6. sess. 24. *de reform.* & etiam à
Superioribus Religionum, quo ad pro-
prios Alumnos, si gaudeant privilegio
Concilii ex indulto Apostolico: item,
& à Capitulo Sede vacante, ut volunt
Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg. 39.*
n. 16. Guazzin. jun. *ad defens. anim. lib.*
2. defens. 6. cap. 45. n. 101. Sperell. *decis.*
111. num. 41. Sicuti etiam Episcopus dis-
pensat in irregularitate contracta ex Bi-
gamia Similitudinaria scilicet, quando
Clericus in Sacris Ordinatus matrimo-
nium contraxisset cum unica, & Virgine,
tam quoad ordines susceperat, quam
quoad suscipiendos, *cap. 1. ibique gloss.*
qui cler. vel vovent. Innoc. *in cap. 2. cod.*
tit. cap. sanè de cleric. Conjug. Sanch. *de*
matrim. lib. 7. disp. 86. num. 20. Piassec. *in*
prax. part. 1. c. 1. art. 10. num. 13. Barbos.
in cap. 2. n. 4. qui cler. vel vovent. Pirhing.
in jus can. lib. 4. tit. 6. n. 2. ver. notandum
secundo; secus si cum Vidua contraxisset,
Sanch. ibi Corrad. *prax. disp. lib. 2. cap.*
1. numer. 16. Horum tamen facultas non
extenditur ad retentionem Beneficiorum
& fructuum fortè amissorum, Nicol. *lu-*
cubr. can. lib. 5. tit. 12. numer. 8. vers. sub
facultate tamen, ubi ad hoc Decret. Sac.
Congr. Concilii allegat.

181 Qui autem tempore Jubilæi, vel alia
occasione, facultatem habet absolvendi

ab omnibus casibus, Censuris, pœnis,
& sententiis, irregularitates tollere, &
auferre non potest: tum quia verbum *ab-*
solvere, relaxationi censurarum tantum
accommodari solet: tum quia praxis Pœ-
nitentiariæ est in contrarium: tum quia
licet irregularitas, quæ provenit ex deli-
cto, sit quoque pœna, est tamen intrinse-
cè semper inhabilitas, quæ sine dispensa-
tione, non tollitur, Bonac. *loco cit. n. 8.*
ubi de communi testatur, Sayr. *d. cap. 13.*
n. 2. 3. & 4.

182 Forma verborum, sub qua irregulari-
tas tolli debet, nulla certa præscripta est:
docent tamen DD. utendum esse sequen-
ti --- *Dispensato tecum super irregularitate,*
vel irregularitatibus, quam, vel quas con-
traxisti, ob hanc, vel ob has causas, & te
habilem declaro, ad suscipiendum, vel exe-
quendum Ordinem, & restituo te ad legiti-
mos actus, in nomine Patris & Filii, &c.
Sayr. *d. lib. 7. c. 14. num. 18.* Guazzin. jun.
ad defens. anim. lib. 2. defens. 6. c. 45. num.
110. Si autem dubium sit, an quis irre-
gularitatem incurrerit, tunc sub condi-
tione dicendum erit --- *dispensato tecum in ir-*
regularitate, si fortè incurristi ob hanc vel
illam causam &c. Leo *thes. for. Eccles. p. 3.*
cap. 4. num. 48.

De effectibus Irregularitatis.
§. XVII.

183 Irregularitas privat licita susceptione
ordinum; quare si recipiantur, peccatur
mortaliter, validè tamen recipiuntur, &
recipiens solum privatur usu, Sayr. *de*
censur. lib. 6. cap. 1. n. 25. Item privat eo-
rundem administratione: ideoque si ad-
ministrantur, pariter graviter peccatur,
sed validè administrantur. Item privat
licita retentione Beneficii, quod exigit
usum ordinis personalem. Item reddit
quem inhabilem ad obtinendum Benefi-
cium: adeout collatio facta irregulari,
ipso jure nulla sit, juxta veriore senten-
tiam, de qua testantur, Sayr. *de censur.*
lib. 6. cap. 2. n. 21. Bonac. *de irregular. disp.*
7. quest. 1. punct. 4. n. 6. & alii plures ab
eis allegati, Tondut. *de pensio. c. 68. n. 5.*
& 18. ubi hoc ampliat procedere etiam in
pensione obtinenda.

Non

- 184 Non privat tamen irregularitas Beneficii jam obtentis, neque fructibus antè sententiam Judicis; neque retentione Beneficii, quod non exigit usum ordinis, vel quod si exigat, potest per alium suppleri, Suar. *disp.* 40. *sect.* 2. *num.* 19. neque privat jurisdictione exteriori, quæ non includit exercitium ordinis, facultate delegandi, & per alios sacramenta administrandi, Bonac. *loco supra citato num.* 15. 16. & 17. Guazzin. *num.* 85. Item non privat ab usu Officiorum, quo laici uti possunt, & sic irregularis poterit licite canere, & psallere in choro, & pronunciare per se, & cum aliis, officia Divina; dummodò abstineat ab actibus propriis ordinum, & ab officio Hebdomadarii, prout vult Navar. *conf.* 14. *num.* 4. *de rescript.* & in *manual. confessor.* *cap.* 27. *n.* 171. Si autem Ordines exerceret antè obtentam dispensationem, mortaliter quidem peccaret, novam tamen irregularitatem non incurreret, Sayr. *de censur.* *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 26. & est communis opinio, Bonacin. *irregularit. disp.* 7. *quest.* 1. *punct.* 4. *n.* 4.
- Advertendum præterea est circa effectus Censurarum, quod in persona Religiosorum Virorum, excommunicatio major impedit, quod hac censura ligatus, non possit eligi ad Prælaturas Ordinis, si vè excommunicatio sit à jure, si vè ab homine, si vè publica, si vè occulta, si vè electo, & electoribus scita, si vè ignota, *cap. postulastis de cleric. excomm. cap. 1. de rescript. in 6. Donat. de regular. tom. 2. part. 1. tract. 5. de eligend. quest. 9. n. 1. Passerin. de elect. cap. 25. numer. 445. & 450. licet si sit toleratus, validè eligat nullo reclamante, Passerin. loco citato c. 10. num. 76.*
- 186 Ligatus autem excommunicatione minori, quamquam eligere valeat, tamen si scienter eligeretur, electio esset irritanda, *per text. in c. si celebr. de cleric. excomm.*
- 187 Religiosus autem simpliciter Suspendus, si vè à jure, vel ab homine, eligi non potest ad Prælaturas, neque alios eligere, *cap. cum dilectus de consuetud.* hoc tamen intelligitur de suspendo nominatim denunciato: nam Suspendus toleratus, & non denunciatus validè eligit, Passerin. *de elect. d. cap. 10. num. 96. licet eligi non possit, etiam si non sit denunciatus, Passerin. d. cap. 25. n. 478. Suspendus autem ab ordine, non est prohibitus eligere, quia electio non est actus ordinis, Donat. ubi supra quest. 16. num. 1. Passerin. dict. c. 10. num. 95.*
- Item Religiosus interdictus, privat¹⁸⁸ jure, & facultate eligendi *cap. ad hoc de postul. prelat. cap. tanta est 18. de excess. prelat. eligit tamen validè, si non sit notoriè, vel nominatim denunciatus, quamquam peccet eligendo, Passerin. d. cap. 10. num. 100.*
- Ubi vero Religiosus esset irregularis,¹⁸⁹ amitteret potestatem eligendi activam, & passivam, juxta opinionem Donati *d. tract. 5. quest. 19. num. 1. per text. in cap. is qui de sent. excom. in 6. & hoc procedere in irregulari occulto, & tolerato, ac à censuris absoluto, affirmare non dubitat. At Passerin. de elect. d. cap. 10. n. 102. & seqq. tenet cum aliis pluribus, quod irregularis, præsertim toleratus, & non denunciatus, non privetur jure eligendi, nisi adsit speciale Statutum Ordinis in contrarium: & in *d. cap. 25. numer. 511. & seqq.* firmat, quod electio Religiosi irregularis sit quidem cassanda, at non ipso jure nulla; & hæc secunda sententia magis placet.*
- Et tandem te monitum volo, quod si¹⁹⁰ quæretur, an excommunicatio, vel alia censura liget, quando pro excommunicato, vel alia censura irretito, adest opinio probabilis, quod non potuerit à Judice, vel Superiore excommunicari, seu interdicti; respondendum est affirmativè: nam quando tam pro reo; quam pro Judice adest opinio probabilis, cum tunc sit casus dubius, & in dubio obediendum sit Judici, reus tenetur in foro externo censuram servare, Guazzin. *jun. ad def. animar. cap. ult. addit. 3. num. 12. ibique concordantes.*
- Et hæc de censuris, & irregularitate in præludio sint satis.